


A C H A I A.



Achaja
unde dicitur.

Sim.

Chaja Ἀχαια Græciæ regio. Hanc Ptolemæus *Helladem* quoque nominat. *Meram Græciam* vocat Plinius Cæcilius in Epistolis. *Livadia* hodie vocari videtur. *Achajam* quidam dictam volunt à crebra aquarum inundatione; alii ab Achæo Duce. Terminatur à Septentrione Thessalia juxta amnem Sperchium, Sinum Maliacum & Oetam montem: ab Occasu Acheloo amne, ultra quem mox Epiri tractus incipit: qua Oriens est nonnihil in Septentrionem reflectendo, *Egæo* Pelago & Myrtoo pulsatur usque ad Sunium promontorium, nunc *Capo delle Colonne*; qua meridies est Peloponnesum habet objectam, Isthmo conjunctam. Regiones apud Scriptores ix hic reperio, quæ sunt, *Doris* regio juxta Parnassum. *Ætolia* ad Euenum fluvium: hæc ad Arcetum plana, & fertilis, ad Austrum aspera ac sterilis. Multas vetustissimas habuit urbes, inter quas præstantissima fuit *Calydon*, unde aper *Calydonius*. Plinio & Straboni quondam totius Græciæ propugnaculum: vel ut ipse elegantius dixit, ἑλλάδος ἀσπίς, & Eustachius ἀσπίς ἢ περὶ τὸν ἰσθμὸν interpretatur. Hodie cum reliquis in ruinis jacet. Hanc regionem *Euenus* liquidissimus amnis perfluit, qui in mare devolvitur. *Locrorum* & *Opuntiorum* regio aspera erat, quorum *Amphissa* urbs maxima & nobilissima. In hac etiam *Naupactus*, quam alii in *Ætolia* locant. *Phocis* juxta Parnassum montem. Urbs ejus *Delphi*, ubi templum Apollinis sumtuosissimum, & oraculum auctore Strab. ἀφ' ὧν δὲ τὸν πᾶσιων πρῶτον πολυχρήματον ναυὶ ἢ πενέταλον ἱερὸν. Quod Tibullus etiam hoc versu indicavit:
Delus ubi nunc Phæbe tua est? ubi Delphica Pytho?
Bœotia inter montes sita agro potitur humido & paludoso, sed pingui & frugibus sæcundo. Urbes *Acra* ad Heliconis radices, Hesiodi patria, quam ille hoc versu depinxit; Ἀσκή χεῖμα κακῆ, θέρψ' ἀργαλέη εἰς πῶλ' ἑσθλή. *Orchomenus* à Minya Thesfalò condita, Tiresiæ oraculo clara. *Theba* ἐπὶ τῶν ἰσθμῶν, quæ neque Athenis cedebant olim clarita-

te, Plinio prodente: multorum illustrium virorum patria, nunc vero prostrata & diruta jacent. *Cheronea* patria Plutarchi. *Plataea* memorabili victoria Græcorum Duce Pausania adversus Mardonium nobilis. *Tanagra* urbs superstitiosissima. *Aulis*, ubi Græci ad Trojam profecturi congregati fuere. *Attica*, terra sterilis ac silvosa: Aristophani Comico & Pindaro Lyrico *νεγναία*. Urbs primaria *Athens*, Pomponio clariore quam ut indicari egeant. Euripidi apud Athenæum ἑλλάδος ἑλλάς, Græciæ Græcia seu Græciæ compendium, Demostheni ψυχὴ καὶ ἦλ. & ὀφθαλμοὺς ἑλλάδος. Valde prædicat illam urbem Cic. oratione pro L. Flac. l. 11, de legibus, & in Dialogo de Partitione. Porro *Athenienses* quum antea καὶ δήμους habitarent, primum à *Theseo* in Astu convenire jussi sunt, qui unam ex CLXXX pagis civitatem constituit. Attius *Quadriurbem* vocavit, quod ex IV urbibus in unam domicilia contulissent, *Bracone*, *Eleusine*, *Piræo*, & *Sunio*. Longum foret civium ingenium, urbis situm, vias, loca sacra & prophana, bella, incrementa & decrementa, accurate referre. Fuerunt & *Marathon* celebri Miltiadis victoria notissima, & *Eleusis* clara sacris Cereris, quæ *Eleusina* dicta fuere. *Megaris*, à Stephano aspera vocatur. Hujus urbs *Megara*, quæ ipsi regioni nomen dedit, juxta Isthmum posita. Fluvii Achajæ celebriores sunt; *Ismenus* ἰσμήν. Ptolemæo, Steph. & Sophocli in *Antigona*. *Thebas* urbem adluens Bœotia fluvius *κνώπ*, quique Straboni *Asoptus*, Homero *βαθύροιν* & *λεγοπὸς* herbidus cognominatus. Hic, referente Pausania in Corinthiacis, *Thebanam* regionem à *Palataiea* dividit. *Euenus*, ante *Lycormas* *λυκόρμας* Apollodoro & Strabone testibus, fluvius est *Ætolia*. Montes celebres *Parnassus*, Lucano lib. v, *Mons Phæbo Bromioque sacer*; in ipso totius Orbis medio Claudiano & Lucretio situs. *Helicon* Plinio Musis natale. *Hymettus* melle, marmore & omni eo, quod ad medicinam utile est, clarus. *Citheron*, à cithara dictus Lactantio, quod illic frequenter hoc organum personaret, & alii Poëtarum versibus decantati.

Græcia.

MOREA